

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,  
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von  
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0522

0520

0526

0516

507

habet intentionem eam videndi, nec habet ibi aliquam obedientiam. Sciunt autem illi monachi, quod romana ecclesia prouidet etiam illis locis de praelatis, in quibus obedientiam non habet, et currunt extra, veniunt Romam et invocant et cognoscunt jam praelatum propter quaestum, quem numquam honorent, vel cui numquam obedirent propter Christum, et fietas et minus deliberatas dant litteras, ut pecunia nostra veniat in usum haereticorum. Quarto, frater ille stat ibi et postulat argentum gratis et aurum, et ego expertus sum, quod ipse in loco suo non gratis aperiret nobis unum ecclesiae ostium, non daret aquae frigidae potum, non praeberet celindrium, non prae-staret corium pro calcei resartione, nec peciam panni veteris, imo oportet baculos ab eis emere, vel censem pro baculo dare, quem quis accipit, dum montes sanctos ascendit. Hoc enim in praecedentibus non posui, sed ita se habet: dum peregrini montes sanctos volunt ascendere, veniunt monachi cum baculis, quos vel vendunt, vel pretio accommodant, sed nullo modo dant gratis, contra illud: gratis accepistis, gratis date. His dictis, finito sermone populus recessit, nec obolum illi monacho dedit, imo, avisatus fuit, ut citius de urbe recederet, antequam interrogatio severa ab eo fideret. Credo enim, quod nec pecunia ab eo collecta ad locum montis Synai sit ventura. Audivi postea, quod imperator serenissimus et rex Romanorum Maximilianus et rex Hungariae, cum quibus praedictus nuncius fuit, magna munera sibi dederunt, sed inutilia, quia non servant hoc praeceptum: Cui des, videto. Est enim locus sanctus et Christianis pretiosus et hoc pensant et non interrogant de qualitate locum inhabitantium, qui nihil valent. Indulgentiae (62 a) autem datae per apostolicos illi ecclesiae sunt antiquae, datae, dum adhuc ecclesia esset sub Papa, et adhuc quidem durant in favorem peregrinorum, qui eas con-sequuntur, dum locum visitant etiam sine munere, nec peregrinus bene faceret dando munus, quod cederet in utilitatem haereticorum pro indulgentiis.

0531

0511

0571

0471

0621

0421

1021

0021

Ende

Anfang

